

A D E X A M E N  
IN GYMNASIO REGIO BREGENSI  
CUM DISCIPULIS OMNIUM ORDINUM

a. d. VIII et VII Kal. Oct. ccccxviii

P U B L I C E H A B E N D U M

INVITAT

FRIDERICUS SCHMIEDER,


Phil. Dr. Gymn. Rector et Professor.



---

BREGAE  
Typis Caroli Theoph. Wohlfahrt.

BRIG (1818)  
1



---

## II.

Ferarum et Iusus et pugnae inter sese placerent etiam nobis, quippe quos singularis earum pugnandi ratio ingeniumque perspectum oblectaret; Romanorum vero ferociae spectacula non satis faciebant, nisi quibus plurimus sanguis funderetur. Quare prioribus saeculis in Circo, postea in Titi Amphitheatro ferarum venationes edebantur, in quibus et harum plurimae et hominum non pauci miserabiliter morte peribant. „Sed quae potest homini esse polito delectatio, quum aut homo imbecillus a valentissima bestia laniatur aut praeclara bestia venabulo transverberatur?“ ut Cicero dixit Epist. ad Div. 7, 1. mentione facta ludorum Pompeii apparatissimorum, in quibus quingenti leones caesi et viginti elephanti. Quae elephantorum venatio more praelii facta erat, Gaetulis ex adverso pugnantibus; a quibus cum premerentur, „universi eruptionem tentavere, non sine vexatione populi, circumdati „clathris ferreis;“ tandem vero „amissa fugae spe, misericordiam „vulgi inenarrabili habitu quaerentes, supplicavere, quadam sese la- „mentatione complorantes: tanto populi dolore, ut oblitus imperatoris „ac munificentiae honori suo exquisitae flens universus consurgeret di- „rasque Pompejo, quas ille mox luit, imprecaretur.“ (Probabilius id

Dionem

Dionem ab aliquot tantum hominibus e plebe factum referre, recte monuit Schütz, V. Doctiss. ad Cicer. l. 1. ἡλεῖθησάν τινες ὑπὸ τῆς δημοσίας, lib. 39. pag. 103 ed. Sylb. Elephantorum vero horum alii statim, alii paullo post moriebantur.) „Pugnavere et Caesari dictatori, tertio consulatu ejus, viginti, contra pedites quingentos; iterumque totidem „turriti cum sexagenis propugnatoribus, eodem quo priores numero „peditum et pari equitum ex adverso dimicante; postea singuli, principibus Claudio et Neroni in consummatione gladiatorum,“ h. e. ut, qui gladiator fortissimus isque solus elephantum viciisset objectum, rudem acciperet publica mercede alendus. Plin. H. N. l. 8. c. 7. ubi Hard. Sed cavendum est, ne fines, quos ipse mihi constitui, egrediar. Redeo ad Martialem, qui, si recte memini, elephantorum venationis uno tantum loco obiter mentionem fecit Xen. 98. *Onager.*

Pulcher adest onager: mitti venatio debet

Dentis erythraei; jam removete sinus.

*Dentis erythraei*, elephanti, per synecdochē. *Sinus* removendi sunt clathri illi ferrei sive retia valida arcendis feris a populi sedibus facta; ab onagro enim, cuius summam celeritatem admirabantur, nihil erat periculi. — Ceterum Martialis libro 5, 65. Domitiani universos hujus generis ludos laudans Herculis labores, quibus coelum meruerit, minimam dicit partem fuisse eorum, quae Caesar dederit spectanda.

Astra polumque dedit, quamvis obstante noverca,

Alcidae Nemaeae terror et Arcas aper,

Et castigatum libycae ceroma palaestrae,

Et gravis in Siculo pulvere fusus Eryx,

Sylvarumque tremor, tacita qui fraude solebat

Ducere non rectas Cacus in antra boves.

Ista tuae, Caesar, quota pars spectatur arenae?

Dat majora novus praelia mane dies.

Quot

Quot graviora cadunt Nemeaeo pondere monstra?

Quot tua Maenalios collocat hasta sues?

Reddatur si pugna triplex pastoris Iberi,

Est tibi, qui possit vincere Geryonem.

Saepe licet Graiae numeretur bellua Lernae,

Improba Niliacis quid facit Hydra feris?

Pro meritis coelum tantis, Augste, dederunt

Alcidae cito di, sed tibi sero dabunt.

*Alcidae*, Alcae (qui graece Ἀλκεὺς et Ἀλκαῖος) nepoti, Herculi astra polumque dedit, causa fuit, ut deorum numero adscriberetur, licet renitente noverca, Junone, Nemae terror, leo Nemeaeus prostratus et aper Erymanthius s. Maenalius, qui *Arcas* vocatur ut lib. 4, 28. smaragdi *Scythae* et sardonyches *Indi*. — et *ceroma* lib. pal. *castigatum*, et luctae certamen cum Antaeo in Libya, qui Neptuni, ut ferunt, filius quum terrae matri et viribus consideret, hospites ad luctationem provocare solitus tandem post multos occisos ab Hercule suffocatus est; *ceromate*, ex oleo, cera et pulvere in speciem luti facto, ungebantur in palaestra luctaturi, quo molliore uterentur cute; *ceroma castigatum* interpretatur Gronov. ad Stat. Sylv. 3, 1. p. 145. 146. *ceroma* destrictum, quia, qui luctabantur, stringebant invicem; *castigare* enim proprie est: stringere, vincere et *ceroma castigare*, idem quod *lentum ceroma terere* in libr. Epigr. 4, 19, 5. — et *Eryx*, Veneris filius et Butae, Siculorum rex, *gravis*, teribilis in palaestra sicula; quum enim Herculem provocasset, tertio demum caestuum certamine victus periit, — et *Cacus* interemtus, Vulcani filius, *silvarum tremor*, latro immanis in Latio, qui *fraude tacita*, non facili detectu, boves raptas *non rectas* sed aversas cauda trahens in antra montis Aventini silva densissima tecti abducere solebat. Sed quam parva haec est pars eorum, quae a Caesare populo exhibentur spectanda! *novus dies*, lux orta, ipsum mane majora certa-

nina,

mina, maiores et plures bestias victas ostendit, quam Hercules tota vita stravit. Ferarum enim pugnantium spectacula erant matutina, quibus opponuntur meridiana gladiatorum inter se. Xen. 92: *matutinarum non ultima praeda ferarum, saevus oryx constat quot miki morte canum!* est vero oryx africanarum ferarum species eaque major ex ordine animalium ruminantium, olim notissima, cuius robur et animum ad proelia natum Oppianus libro II. descriptsit; (locos vett. collectos vide in Bochart. Hieroz. T. I. p. 946 et 968. et in Schneideri V. Cl. nota ad Colum 9, 1.) — v. 9. Quot leones cadunt vel maximi, qualium unum descriptsit Mart. lib. 8, 55. *tua hasta*, hasta venatorum, quos tu populo praebebas spectandos, qui tuis auspiciis cum feris pugnant, quot sues maenalios *collocat*, sternit in arena exanimatos! Metaphora Heraldo sumta videtur ab antiquo collocandi cadaveris more non solum in vestibulo aedium verum et in loco publico, ut pro rostris Romae. Graeci περιθεθατ. Plaut. Amphitr. I, 1, 147 *jam pridem videtur factum, heri quod homines quatuor in soporem collocastis nudos h. e. plagis male mulcatos propeque exanimatos stravistis, ut facile possent spoliari.* — *Si redatur pugna, si iterum necesse esset pugnare cum pastore Ibero* (ut Ovid. Metam. 9, 184.), Geryone tricorpore (unde *pugna triplex*,) Hispano, quem Hercules boves ejus abigere jussus interfecit, est tibi inter venatores tuos, qui Geryonem vincere possit, Carpophorus, Θηριομάχος fortissimus, certissime venabula dirigens, ut eodem die aprum, ursum, leonem, pardum confoderet infatigatus, alio bis denas feras uno tenore perimeret, juvenis tam robustus, ut eodem ferme momento geminos juvencos saevientes cornibus apprehensos humili- allideret, bubalumque domaret et bisontem; de quo vide Mart. libro de Spect. 17. 25 et 30: *Saecula Carpophorum, Caesar, si prisca tulissent, jam nullum in monstris orbe fuisset opus;* et: *haec armata manus Carpophori hydrae mors una fuisset;* *buic percussa foret tota Chimaera semel.* Licet igitur Lernae graiae bellua,

hydra

*hydra lernaea saepe numeretur* a capitibus, licet multiplex monstrum esset, quia pro sectis capitibus plura renascebantur, *quid facit*, quam contemnenda est *hydra improba*, quantumvis audax et Herculis labore eludens, si comparatur *feris Niliacis*, crocodilis, quos primus M. Scaurus aedilitatis suae ludis (Plin. H. N. 8, 26), tum Augustus et Domitianus Romae ostenderunt. Quid facit hydra crocodilis? i. e. quam parum decet, hydram componere cum crocodilis; Propert. 3, 1, 20: *nou faciet capiti dura corona meo*, non decebit, capiti meo imponere coronam duram. — v. 16. Concludit denique ut adulator; Alcidae dñ pro suis meritis magnis quidem sed minoribus, si cum tuis comparantur, qui multo plura et majora monstra delevisti, cito coelum dederunt, ut eum curis et laboribus liberarent; tibi sero dabunt, ut quam diutissime felicitate summa fruaris. Intelligitur simul votum Martialis pro vita et salute imperatoris ad extremam senectutem conservanda.

In hisce venationibus et casus fortuitos et novas inauditasque vendandi rationes maxime placuisse nemo dubitabit. Sus fera, ex vulnere, dum ipsa periret, pariens, digna videbatur Martiali, quae tribus epigrammatiſ de Spect. 14. 15. 16. caneretur, quorum postremum est:

Sus fera, jam gravior maturi pignore ventris,  
Emisit foetum, vulnere facta parens;  
Nec jacuit partus sed matre cadente cucurrit.  
O quantum est subitis casibus ingenium!

*Ingenium est casibus subitis* h. e. casu interdum subito fiunt, quae ingenio efficere non potuisses. Inde dicunt: casus tibique valet. Similiter Ovid. Metam. 6, 574: *grande dolori ingenium est*, dolor et suadet et perficit interdum, quod vel summo praeditus ingenio nec suassisces nec perfecisses. Similis argumenti carmen de cane ex vulnere pariente vide in Anthol. graecae T. II. p. 221. XXXIV.

Accidisse videmus in arena (lib. de spect. 12.), ut leo magistri manum, saepe fortasse ori sine damno insertam, contemeraret praemordens et lacerans; qui morte punitus. Pax leonina est in proverbio; tigres enim et leones nunquam bona fide mansuescunt, sanguinis aspectu et colore facile ad feritatem retrahuntur. Quare quid mirum, si alius leo (lib. 2, 75.) qui cicut in arena vagabatur, pueros aliquos arenam a sanguine prius effuso purgantes miserabiliter in conspectu populi laceraret?

Novum venationis genus, feras visco captandi miratur Martialis  
de Sp. 13.

Praecepis sanguinea dum se rotat ursus arena,  
Implicitam visco perdidit ille fugam.  
Splendida jam tecto cessent venabula ferro,  
Nec volet excussa lancea torta manu.  
Deprendat vacuo venator in aere praedam,  
Si captare feras aucupis arte placet.

Dum se ursus arena, cruento respersa, *praeceps rotat*, citato impetu volvit, ut plagas evitet, (sic enim solent ursi a venatoribus agitati;) incidit in viscum, quo implicitus fugere porro non potuit. Quod qua ratione factum sit, haud facile est intellectu. Fortasse sicut aviculae virgis, visco oblitis, capiuntur, ita ursus contumice viscoque illitis pellique tenaciter inhaerentibus impediebatur, quo minus fugeret. At ferae si visco possunt captari, non amplius opus est venabulis; splendida, ferarum sanguine non cruentanda, jam cessent *tecto ferro* vagina, recondatur nunc venabulum inutile in hoplotheca. Nec lancea *torta*, vibrata, volet manu *excussa*, translato verbo ad locum, unde motio fit, ut ap. Virg. Aen. 6, 353: *navis excussa magistro*; Luean. 4, 385 *excussis — ferrum vibrasse lacertis*. Inversa sic ratione venandi, ut visco capiantur ferae pro avibus, videat venator, utrum sua arte uti possit in *aere vacuo*.

Quod

Quod vero quum fieri nequeat (cf. Virg. Ecl. I, 60: *ante leves ergo pascentur in aethere corvi;*) nullam superesse venationem intelligitur.

Mirandis etiam hoc adnumeratur, ut mulieres cum bestiis pugnarent.

de Sp. 8.

Prostratum Nemees in vasta valle leonem,

Nobile et herculeum fama canebat opus.

Prisca fides taceat, nam post tua munera, Caesar,

Haec jam feminea vidimus acta manu.

Primum Herculis laborem fuisse, ut leonem Nemeaeum tolleret *in vasta valle*, ubi ingens erat solitudo, satis constat; at *fides prisca*, qua facile res gestae in majus feruntur, taceat etc. Potest hoc epigramma ad Titi tempora referri, in cuius spectaculis Dio pag. 757 mulieres quoque, verum tamen non nobiles, una cum viris bestias confecisse narrat. Nova res erat sub Nerone. Xiphilinus: ἐκεῖνο δεῖχαι καὶ αἰσχυλον καὶ δεινότατον ἄμα ἐγένετο, ὅτι καὶ ἄνδρες καὶ γυναικες οὐχ ὅπως ἵππης ἀλλὰ καὶ τῆς βουλευτικῆς ἀξιώματος — καὶ θηρία απέκτειναν καὶ ἐμονομάχησαν.

Res nota est maleficos suppicio adficiendos feris saepe fuisse objectos; sed ne simpliciter perirent, institutum etiam erat ab imperatoribus, ut in amphitheatro fabulas antiquas reprezentantes populo spectacula præberent; quorum, quamvis ad venationes non pertineant, mentionem hoc tamen loco facere liceat. In Mart. de Sp. 9. 10. 23. Epigr. 8, 30. et 10, 25 commemorantur, qui Orphei, Daedali, Scaevolae et Laureoli partes agere coacti essent.

de Sp. 9.

Qualiter in Scythica religatus rupe Prometheus

Assiduam vivo viscere pavit avem,

Nuda Caledonio sic pectora præbuit ursu

Non falsa pendens in cruce Laureolus.

(2)

Vivebant

Vivebant laceri membris stillantibus artus  
 Inque omni nusquam corpore corpus erat.  
 Denique supplicium dederat necis ille paternae;  
 Vel Domini jugulum foderat ense nocens;  
 Templa vel arcano demens spoliaverat auro;  
 Subdiderat saevas vel tibi Roma faces.  
 Vicerat antiquae sceleratus crimina famae,  
 In quo, quae fuerat fabula, poena fuit.

Describitur spectaculum malefici in cruce ursi expositi. Fabula de Prometheo propter ignem e coelo sublatum in Caucaso, scythica rupe, ita ab Iove religato, ut aquila seu vultur interdiu *visere vivo*, jecore, quod per noctem succreverat, pasceretur, non ignoratur. Praebuerat etiam argumentum saltationis. Lucian. de salt. c. 38. Ut olim Prometheus vulturi, ita in amphitheatro sceleratus quidam *pectora*, corpus, *Caledonio*, immanissimo praebuit ursi, vera in cruce pendens, non in falsa, ut Laureolus in fabula Naevii vel Laberii, qua latro quidam ejus nominis in crucem actus singebatur. cf. Suet. Calig. 57. Juv. Sat. 8, 187 et interpretes. Seclerati hujus, qui ipse Laureolus, cuius fatum repraesentabat, dicebatur, laceri artus *vivebant*, palpabant, membris cruento stillantibus. Versus 6 imitatur lusus verborum Ovidios; quamquam oxymoron et apud alios poetas non est infrequens, hac sententia: exstabat corpus sed lacerum, deforme, quod agnosci non poterat. Similiter dixit Epigr. 7, 61: *inque suo nullum limine limen erat*. Ne vero haec poena crudelis magis quam justa videatur, scelestum illum hac morte credas dignissimum fuisse. Denique h. e. ut brevi omnia dicam, (sic utuntur hac voce Horat. Serm. I, 1, 92. 4, 80. Flor. I, 16 et alii) vel patrem occidit vel dominum *nocens*, maleficus, nefarius; vel templo spoliavit auro *arcano*, aureis vasis ad sacros usus reconditis, vel Romanum incendit. Saltem superaverat crimina *famae* antiquae Laureoline an Promethei?

methei? incertus haereo, sed epitheton *antiquus* magis convenit Prometheus; superaverat igitur crimina olim in Prometheus illata, quod in hoc scelerato poena fuit vera, quae facta in Prometheus. Quartum et quintum distichon in librorum Mitorum Gruteri tertio desunt, in quarto dicuntur esse Panormitani, h. e. Antonii Panormitae, qui saeculo XV in Italia poesim Latinam restituerat. Hinc et quod videbantur inepta et praecedentibus non posse connecti, Gruterus et Scrivenerius opinabantur vel ea esse ejicienda, vel intermedios aliquot versus excidisse. Ego cum Scaligero et Gronovio nihil video inepti eosque versus elegantiores censeo quam ipro Panormita, de quo vid. Bayle Diction. T. III. p. 578.

Epigr. 10.

Daedale, Lucano cum sic lacereris ab ursso,  
Quam cuperes pennas nunc habuisse tuas!

Adloquitur poeta ipso in amphitheatro maleficum quendam damnatum, ut Daedalum imitaretur; qui, quod recte suspicatur Raderus, alis in Daedali imaginem instructus pegmateque excusus in feras veluti volando deciderat. Simile fuit supplicium Icari cuiusdam. Suet. Ner. 12. Pegmata dicebantur tabulata ex se surgentia, tacite in sublime crescentia et alias ex inopinato varietates, aut dehiscentibus, quae cohaerebant; aut, quae distabant, sua sponte cohaerentibus; aut iis, quae eminebant, in se residentibus. Sen. Epist. 88. Quali machina sublatus ille sceleratus, quum solutis compagibus in arenam decidisset, ab ingente ursso lacerabatur. Quod videns Martialis exclamat: quam cuperes, habuisse nunc alas illas veteres, quibus avolare potuisses!

Epigr. 23.

Quidquid in Orpheo Rhodope spectasse theatro  
Dicitur, exhibuit, Caesar, arena tibi.

Repferunt

Repserunt scopuli, mirandaque silva cucurrit,  
 Quale fuisse nemus creditur Hesperidum.  
 Adfuit immixtum pecudum genus omne ferarum,  
 Et supra vatem multa pependit avis.  
 Ipse sed ingrato jacuit laceratus ab urso — —  
 (Haec tamen ut res est facta, ita ficta alia.)

Describitur supplicium malefici ita feris objecti, ut Orphei personam ostendens fabulam antiquam renovaret ac sensibus populi subjiceret. Videtur arte effectum in amphitheatro, quod *in Orpheo theatro* i. e. Orpheo canente in valle ad Rhodopen montem accidisse fabulabantur. Intromissum damnatum aliquem singas, habitu Orphei sedentem, ad lyram canere jussum. Machinarum ope saxa lentius, citius arbores ad id ipsum paratae, auro obductis ornatae fructibus, admovabantur. De saxonum et arborum Orphei cantum sequentium frequenti apud veteres memoria vide Olearium ad Philostratos p. 899. Per eas discurrebat omne genus ferarum; in arboribus alligatae sedebant vel funiculis retentae volitabant aves; Ovid. Met. 10, 143: *in que ferarum Concilio mediis, turba volucrumque sedebat.* Sed ut verus Orpheus a Maenadibus singitur disceptus, ita hic ab urso *ingrato*, surdo ad gratam sonoramque vocem, vere periit laceratus. Versus ultimus totus est ineptissimus, eumque Gronovius recte censet esse infelcis alicujus versificatoris, qui deficientem in veteri codice versum suppleverit. Etiam versus 5 videbatur esse corruptus; *pecudes enim et ferae* saepe distinguuntur, ut epigr. 9, 71 et locis multis, inter quos insignis est, quem scripsit Calpurnius, Martialem imitatus Ecl. 2, 10: *adfuit omne genus pecudum, genus omne ferarum;* eundem etiam versum repetit Dracontius, *gignitur* scribens pro adfuit. Quare viri docti, ut locum emendarent, plura tentarunt, quae cum varietate lecti. proponere hujus loci non est; nec omnino necessaria sunt. *Pecus enim pro omni animali*

praeter

praeter hominem dici, et maxime pro ovibus et animalibus domesticis docent lexica. Hinc Varro R. R. 2, 1, 5: *pecudum ferarum genus* dixit, equos, oves bovesque feras intelligens. Interdum etiam ferae pecudes sunt, quae silvestres dicuntur. ex. c. Colum. 9, 1: *ferae pecudes, ut capreoli damaeque nec minus orygum cervorumque genera et aprorum etc.* Easdem feras pecudes appellare videtur Lucre. 1, 14. Quare vulgatam in Mart. lectionem, non mutatam, sic interpretor: *adfuit immixtum arborum seriei omne genus pecudum ferarum, ut cervi, capreoli, damae aliaque animalia non domestica. Ferae enim singuntur Orpheum esse secutae, ferae solebant in amphitheatro ostendi.* — Post hoc epigramma in Cod. Thuano hoc iuuentum est distichon, quod paullulum ex mente Gronovii mutatum adscripsi:

Orphea quod subito tellus emisit hiatu  
Miramur? versa venit ab Eurydice.

Qui versus si genuini sunt, etiam rationem, qua Orpheus personatus in arena collocatus sit, docent. Machinis et arte factum est, ut solum scinderetur Orpheumque subito emitteret. Spectatores cur e terra emissus sit miratos poeta de mytho Orphei et Eurydices admonet, nempe rediisse modo Orphea ex inferis ab Eurydice *versá*, reversa, quia Orpheus respexerit. Q. Hortensius aliquando Orphei persona ad amicos exhilarandos utebatur. Coenabant apud eum in silva agri Laurentis, excenso loco. „Quintus Orphea vocari jussit. Qui cum eo „venisset cum stola et cithara et cantare esset jussus, buccinam inflavit, „ubi tanta circumfluxit nos (convivas) cervorum, aprorum et ceterarum „quadrupedum multitudo, ut non minus formosum mihi visum sit „spectaculum, quam in circo maximo aedilium sine africanis bestiis cum „fiunt venationes.“ Varro de R. R. lib. 5, 13.

Alii scelerato ea lex erat posita, ut in arena partes ageret Mucii Scaevolae, manum igne exurentis; de quo duo exstant epigrammata,  
lib.

lib. 8, 30 et 10, 25. In priore, quod scriptum erat Domitiano vivo, totus est Martialis in admirando hominis animo fortis.

Qui nunc Caesareae lusus spectatur arenae,  
Temporibus Bruti gloria summa fuit.  
Adspicis, ut teneat flamas, poenaque fruatur  
Fortis et attonito regnet in igne manus!  
Ipse sui spectator adest, et nobile dextræ  
Funus amat: totis pascitur illa sacris.  
Quod nisi rapta foret nolenti poena, parabat  
Saevior in lassos ire sinistra focos.  
Scire piget, post tale decus, quid fecerit ante:  
Quam vidi, satis est hanc mihi nosse manum.

*Bruti temporibus*, verius: primo post Bruti mortem anno a. U. 246, in bello contra Porsennam id facinus summam Scaevolæ peperit gloriam, quod nunc in arena Caesaris tanquam lusus spectatur. Quare non se miretur, *Caesar, longaeva vetustas: quicquid fama cauit, donat arena tibi.* de spect. 6. Per jocum enim **hodie** fit, quod olim viri fortissimi vix audebant. Vides, ut Mucius noster animo fortissimo dextram ignibus exuri patiatur, ut manus ejus *teneat*, sustineat flamas immota, ut fortis *poena fruatur*, ut poena et dolore in voluptatem versis patiendo illustrior fiat et *regnet*, invicta quasi dominetur in igne *attonito*, patientiam stupente. *Ipse sui spectator adest*, nescire videtur suam exuri manum, spectat suæ interitum, ac si sit aliena; *amat* ejus *funus nobile*, gaudet ob gloriam inde nascentem, quod contemto eam dolore ita comburit ac funera solent in rogis. Illa *pascitur*, fruitur et versatur *totis sacris*, toto igne, in ara tanquam in sacris incenso, in quem jam lassum admiratione et fortitudini cedentem (minuitur enim) sinistra quoque, *sae-  
vior*, cum una restaret, sese inmisisset, si ei vel invitae ista poena non fuisset negata. Ut enim verum Scaevolam Porsenna, ita hunc fictitium

impe-

imperator ab ignibus amoveri jubebat. Post tale decus scire piget, quid ista dextra ante fecerit; dicendum erat: quid commiserit, ut poena hac esset adficienda; sed non vult Martialis scelerati hujus scire maleficia, ne forte animi fortissimi admiratio minuatur; *quam vidi manum*, qualem ejus vidi fortitudinem, mirari satis mihi est. Minus admiratur post Domitiani mortem:

In matutina nuper spectatus arena  
Mucius, imposuit qui sua membra focis;  
Si patiens, fortisque tibi, durusque videtur,  
Abderitanae pectora plebis habes.

Nam cum dicatur tunica praesente molesta:  
Ure manum; plus est dicere: non facio.

Usserat igitur manum, ne totus in *tunica molesta* arderet, quae inventum fuit saevitiae ad supplicium maleficorum; pice aliisque alimentis ignium illitam infectamque cogebantur induere, ut vivi arderent.

Die Ordnung der öffentlichen Prüfung aller und der Redeübung  
unsrer jüngern Schüler ist folgende:

Donnerstag den 24ten September, Vormittags um 9 Uhr.

C h o r a l.

Darauf folgt:

1. die erste Religions-Classe.

Zwischen den Lectionen tragen kleine Gedichte vor:

*Moritz Friedrich Kattner* aus Barottwitz bei Breslau.

*Ernst Eduard Mühler* aus Scheidelwitz bei Brieg.

2. die erste lateinische Classe. (*Dicht.*)

*Guido Theodor Laube* aus Brieg.

*Carl Wilhelm Tieftrunk* aus Brieg.

3. Deutsche Literatur, erste Classe,

*Friedrich Wilhelm Kurtz* aus Endersdorf bei Grottkau.

*Gustav Erdmann Schott* aus Constadt.

4. Griech. zweite Classe.

*Friedrich August Dommer* aus Klein-Althammer bei Cosel.

*Ludwig Wilh. Emil Hoffmann* aus Brieg.

5. Arithmet. erste Classe.

*Carl Ludwig Jachmann* aus Petrikau.

*Carl Gustav Reinsch* aus Ohlau.

Nachmittags um 2 Uhr:

C h o r g e s a n g.

*Carl Schellenberg* aus Hermsdorf.

1. Latein, fünfte Classe.

*Julius Hugo Adelbert v. Goldfus* aus Haynau.

*August Heinrich Reinhard v. Wrochem* aus Ratibor.

*Gustav Leopold v. Ohlen* aus Leobschütz.

2. Geo-

2. Geographie, zweite Classe.

*Friedrich August Eduard Jacob aus Potsdam.*

*Emanuel Ferdinand Hensel aus Wansen.*

3. Vierte deutsche Classe.

*Wilhelm Alexander Theodor Meese aus Brieg.*

*Adolph Mayer aus Bankau bei Creutzburg.*

4. Latein, vierte Classe.

*Eduard Ferd. Wilh. Cammler aus Kalisch.*

*Job. Gottfried Brieger aus Buchitz bei Löwen.*

*Carl Julius Steinacker aus Kottwitz bei Breslau.*

*Traugott Landeck aus Brieg.*

Freitag, den 25ten September, Vormittags 9 Uhr:

Choral.

1. Religion, zweite Classe.

Kleine Gedichte tragen vor:

*Gustav Müller aus Brieg.*

*Eduard Olavski aus Brieg.*

2. Naturgeschichte, erste Classe.

*Carl Mörbel aus Brieg.*

*Heinrich Freund aus Brieg.*

3. Latein, zweite Classe.

*Hermann v. Prittwitz aus Kreisewitz.*

*Heinrich Kattner aus Barottwitz bei Breslau.*

4. Griechisch, dritte Classe.

*Albert v. Gladis aus Brieg.*

*Heinrich Zwirner aus Jakobswalde bei Cosel.*

5. Latein,

## 5. Latein, erste Classe. (Pros.)

*Ernst Pochhammer* aus Tarnowitz.*Friedrich Lessing* aus Namslau.

Nachmittags um 2 Uhr:  
Chorgesang.

*Julius v. Wrochem* aus Ratibor trägt vor einige Stellen aus der  
Rede von Baumgarten-Crusius: das Kreuz.

## 1. Mathematik, zweite Classe.

*Ernst Julius Büttner I.* aus Brieg.*Friedrich Wilhelm Binner* aus Kalisch.

## 2. Geschichte, zweite Classe.

*Carl Friedrich Bogatsch* aus Brieg.*Carl Friedrich Hanke* aus Oders bei Troppau.

## 3. Latein, dritte Classe.

*Heinrich Diego Padiera I.* aus Tarnowitz.*Ernst Friedrich Zwirner I.* aus Jakobswalde bei Cösel.

## 4. Physik, erste Classe.

*Carl Gustav Seyffert* aus Brieg.*Carl Wilhelm Hoffmann III.* aus Creutzburg.

*Rudolph Frosch* aus Bischdorf bei Pitschen trägt einige Züge aus  
dem Leben Karls des Grossen vor und dankt, im Namen  
seiner Mitschüler, der Versammlung für ihre gütige Ge-  
genwart.

## Schlussgesang des Chors.

Die verehrten Gönner und Freunde unsers Gymnasiums lade ich  
hierdurch gehorsamst und ergebenst ein, bei den Prüfungen unsrer  
Zöglinge uns die Ehre ihrer Gegenwart zu schenken. Brieg, den  
25ten Sept. 1818.

Dr. Friedr. Schmieder.

5. Latein, ers  
*Ernst Poc.  
 Friedrich*

*Julius v. L  
 Rede v.*


1. Mathematik,  
*Ernst Jul  
 Friedrich*

2. Geschichte,  
*Carl Fried  
 Carl Fric*

3. Latein, drit  
*Heinrich I  
 Ernst Fric*

4. Physik, erst  
*Carl Gust.  
 Carl Wilhe  
 Rudolph F  
 dem L  
 seiner  
 genwar*

Die verehrte  
 hierdurch gehör  
 Zöglinge uns d  
 23ten Sept. 1818



### TIFFEN® Color Control Patches

	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black

© The Tiffen Company, 2007

einige Stellen aus der  
 euz.

pau.

ide bei CoseL

rg.

trägt einige Züge aus  
 dankt, im Namen  
 für ihre gütige Ge-

rs.

Gymnasiums lade ich  
 den Prüfungen unsrer  
 merken. Brieg, den  
 riedr. Schmieder.